



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

D. Ioannis Ivsti Lanspergii Carthvsiani, Natione Bavari, Opvscvla Spiritvalia

ab ipso Autore partim Latinè, partim Germanicè euulgata

Landsberg, Johannes Justus

Coloniae Agrippinae, 1630

Lingua quare, quantoq[ue] studio sit frenanda: quantaq[ue] item mala
effrenis locutio adferat. Cap. XIX.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45857](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45857)

VI
16

Sensuum externorum refrenatio ac disciplina quam sit necessaria ad cordis puritatem: quantaque mala adferat eorum lasciuia.

CAPVT XVIII.

Virum sanctum decet modestia, grauitas ac disciplina tam morum quam sensuum: Vnde sanctus Tobias commendatur, quod nil puerile gesserit in opere suo, & Sara Rachuelis filia, quod ludentibus se non miscuerit, gloriatur. Vbiunque enim dissolutio inuenitur, ibi haud esse creditur deuotio. Leuitas namque & iocandi consuetudo, rixæ sunt deuotionis, idè cauendæ.

Sensuum
morumque
disciplina
quam sit ne-
cessaria.
Tob. 4.
Tob. 5.

Quicquid non videris, id minus cogiras. Concupiscentia sequitur sensum, indeq. irritatur. Quæ non vides, quæ nescis non concupiscis. Scito igitur mundum te cor seruare haud posse, sensibus freno disciplinæ solutis. Si pacem cordis & charitatem ad proximum volueris seruare, necesse est vt oculos contineas. Quare enim irasceris nunc hinc, nunc illi, irreligiôsè se habenti, nisi quia oculos tuos non custodis: Irascere tibi, quia tibi ipsi vt turberis causa es: vt pote absque disciplina, & oculorum continentia viuens. Sensus tui ostia sunt cordis tui. Quicquid cogitare non vis, non recipias per ostia. Seruatur igitur clausas porras, ne intret quòd paulò post haud valeas eijcere. Ingressus reflectorium, noli hinc inde lustrare quid mensæ appositum sit, sed ad orationem animam tuam para. Porro si aliquem videris ex fratribus scrutantem, quid in scutella habeatur, &c. ante benedicite, noli tu illi irasci, sed magis tibi irascere, quia non custodis oculos tuos. Ille enim te non lædit, sed incontinentia oculorum, immortificatioque cordis tui te lædit. Vide igitur vter sit melior. Alius scrutatur de cibo, tu de illius moribus iudicas. Tene igitur oculos tuos, & noli iudicare.

Cordis mundiciam & pacem absq. oculorum custodia seruari non posse.

Lingua quare, quantoque studio sit frenanda, quanta item mala effrenis locutio adferat.

CAPVT XIX.

Vir perfectus vti non deberet lingua sua, nisi ad honorem Dei & utilitatem proximi. Hoc modo beatissima virgo Maria, & non aliter vtetur lingua sua. Tu igitur illius exemplo & amore, non loqueris, vbi tacere potes. Loqui sit tibi in necessitate, filere in desiderio. Cùm enim loqui etiam licuerit, eiusmodi tamen silentium tu seruabis, cuiusmodi conscientiosi quidam tempore seruant silentij, videlicet, vt pauca tantum & necessaria verba loquantur, eademque, cum timore, ne ad silentij fractionem excedat, pronuntient. Hoc modo tu quoque omni tempore pauca tantum & necessaria loquaris, eaq. cum timore & vigilantia, ne excedas. Non respondeas plus quam necesse fuerit, seruata tamen semper discretionem & serenitatem. In vultu serenitas semper relucent, vt quasi subrideas dulciter, & in corde seruetur pax erga proximum, ne cuiquam tuum huiusmodi fiat silentium onerosum aut singulari.

Lingua quomodo ad honorem Dei vti debeat.

Verba otiosa
& noxia qua
tatione imi-
tari possunt.
Matt. 12.

Precatio pro
discretionē
in loquēdo.

Propositum
super lingue
custodia iac-
pius reuo-
uandum.

Contentio-
nes & dispu-
tationes que
cur sint vi-
tandæ.

gulare. Multa tu statuis, at ex his pauca & propemodum nihil seruas. Quoties (dic) loquutus es, quin excesseris loquendo, aut tuum non prætergressus fueris propositum. Mox enim vbi loqui incipis, ad verba desuis leuia, inde ad sermones de absentibus. Sequuntur risus & nugæ, aliæque id genus vitiosa, quæ Dei seruo vehementer nocent. Esto igitur Domini nostri Iesu Christi nomine admonitus qui verbum omne prohibet otiosum, vt ab omni abstinereas verbo, ad quod nulla te necessitas, nullaque honestas, congruentiæ respondendi proximo vrget, ne (quod nimis saepe es expertus) cum ad licitam linguam laxaueris, ad illicita quoque labaris. Porro si per silentium hoc modo, hacque intentione seruatum ignoranter etiam deliqueris, facilius (crede) Dominus dimittet hoc peccatum, faciliusque emendabis, quam id quod garrulitate foret admittum. Volat enim irreuocabile verbum, nec tam cito emendari potest quod loquendo, quam quod tacendo peccatur. Quod si è tuo silentio quis turbetur, ora pro eo Dominum ne scandalizetur.

Scis tu enim (dic) Domine Iesu, meam infirmitatem, & quam pronus sum ad lapsus excessusque lingue. Ne quasi igitur aut mihi aut alteri imputes in peccatum quod aliquis propterea turbatur, si ego parum aut penè nihil fuerò loquutus. Neque enim propter iudicium alterum ego me dissuadere debeo in leuitates. Effuso autem si multum quid loqui capero, atque in me loquendi consuetudinem, (imo petulantiam) per hoc confirmo. Oro igitur te piissime Deus serua nos omnes à peccato & scandalo. Neminus recuses respondere quæ rationabilia sunt, dum loqui licet. Loqui tamen quæ necessaria non sunt aut vtilia, aut occasiones alijs de huiusmodi interrogandi loquendique præstare, omni sic tempore tibi interdictum. Propositum tuum super custodia lingue crebriori eger renouatione, quoniam circa alios defectus, propterea quod maior est lingue lubricitas atque pronitas ad lapsum, quam aliorum membrorum. Comprime igitur dentes & labia, ne inutiliter & absque ratione loquaris. Pari modo vbi tibi loquendum præserueris, firma propositum tuum antequam loqui incipias contra occasiones fortasse recipiendas, ne incautus excedas: hoc est, ne mala, dissoluta, aut noxia futurias. Semper in memoria tua habereas, semper internam audias vocem dum loqueris. Pauca verba, pauca verba. Contentiones & disputationes tanquam pacis, charitatis, tranquillitatisque destructionem deuita. Sine alios vt volent agere. Tu age vt obedias Deo prælatique, perficiens quæ ad tuum pertinent statum, Quid enim ad te attinet, quid alij de te disputent aut loquantur, modo tu in conscientia securus sis coram Deo? Non igitur pro tui excusatione loquaris, nisi res fuerit ardua. De scripturis quoque & doctorum opinionibus dimitte vnicuique suum sensum, præsertim vbi semel dixeris interrogatum quid tu sentias. Tunc enim maxime niti oportet, ne tuum seorsum & quod semel dixeris, velis defendere. Assuesce quomodo à verbis otiosis, ita à iocis, à cachinno quoque & leuitatibus abstinere: salua tamen serenitate in vultu, & benignitate in moribus. Urgente tamen charitate (si tu quem fortasse laedum, aut tristem, aut de te similes aliquid huiusmodi suspicantem aduerteris) vt de eius tollatur corde turbatio aut phantasia, vtiliter posses ei adiocari, alioquin generalia ac solatiofa verba, tamen honesta & amabilia, firmatorem ante proposito tuo, quo paulo post ad silentium redeas. Vbiunque in colloquio fueris si causa honestatis, aut propter vitandum scandalum loqui

oporteat, loquere ea quæ sunt vtilia, & nunquam vel pro veritate (nisi periculum animarum ex tuo silentio sequeretur) disputes aut contendas. Semel aut bis si necessitas fuerit, testimonium perhibe veritati. Si nemo vult recipere, sine tu alios vt volunt sentire, & silentio tuo contentioni turbationisq; materiam tolle. Inter familiaria colloquia nō præsumas alijs prædicare, aut docere, quasi ædificationis causa, quia quamdiu iuuenis es, nec alicuius auctoritatis, nemo à te recipere & plerunque eiusmodi prædicatio, aut ex arrogantia præsumptioneue nascitur, aut (si esset etiam sinceritas) ab alijs tamen arrogantia iudicatur. Præfer potius ignorantiam, & sine alios disputare, prædicare, & scripturam sacram allegare.

Grandis est superbia respondere ad aliorum dicta, vbi tu non interrogatus fueris: nec ostentationis specie caret, absque necessitate proferre, quo scientiam tuam videaris alijs monstrare. Abstine igitur ab ijs, ama nesciri, & exhibe te vt nescientem.

Silentium tuum alijs iucundum atque dulce fit, vt pote quod ex verecūdia & Dei timore obseruetur. Silentium quod turbulentiam aut amaritudinem præfert inter alios nemini non est molestum, nemini non suspectum ac onerosum. Stude sermones aliorum noxios, aut nimis inutiles, quæstione aliqua rationabili, aut narratione ædificatoria interrompere, citra tamen disputationē. Ob hanc rē ante præmeditatum semper habeas materiam bonam, quā malis ac vitiosis colloquijs immisceas, & illa ad bona transferas. Caue neminem ex verbis iudices. Multa enim faciliter non præmeditata, nec ex proposito dicta hominibus effluunt, quæ ex animo eos loqui temerarium foret iudicare. Inter alios, siue in mensis siue in colloquijs constitutus, si de rebus noxijs fiat sermo, quos neque reprehendere, neque eorum sermones interrompere audeas, ad Deum conuersus pro illis (quos nequaquam tamen propterea iudices) dic *Benignissime Iesu, si tibi hi sermones displicent, oro auerte illos ac disipa. Tu piissime Deus, tu scis infirmitatem meam, qua nihil nisi cadere noui, quotiescunque tua me non seruaerit gratia. Ideo custodi & libera me à lingua mea.*

Verba aliorum illicita quomodo interrupta pendenda.

Precautio pro loquacium tetrenatione.

Silentium illud quod tempore necessitatis hominem impetuose facit loqui, aut amare, indignanterue respondere, suspectum est. Pari etiam modo loquutio æstimatur adulatoria, quando quod natura non præbet, affectatur, studeturq; suauiter ac benigne loqui, in gratiam hominum. Sunt enim quidā ex naturali passione aut iracundi, aut graues. Hi si fingant se mites mox notantur. Quam diu sine peccato tacere potes, tace. Semper enim vbi expedierit incipere potes loqui, non autem tacere, hoc est, à loquendo cessare, quoties volueris potes. Rarissime tibi necessario foret loquendum, si quid sit necessariū fati expenderes, & si quam vtile sit silentium, quamue perniciofa vana loquutio pensares.

Quandocumque colloquio communi te interesse necesse fuerit, quam cito recedere licet, recede, non tamen subito, sed ad tempus aliquod modicū manere congruit, puta spaciū duorum psalmorum, & tūc quasi furtim te subducas. Debes autem proximos aut fratres tuos non fugere quasi malos, sed te ipsum fugias necesse est, hoc est, linguæ tuæ perniciem, quæ bene loqui non didicit. Dic igitur à colloquio recedens Deo. *Domine Iesu, hi fratres aut homines boni sunt, & securè loqui possunt. Ego bene loqui non didici: ea propter ad*

solu-

Precatio eō-
ra loquaci-
tatem.
Detractions
& oblo-
quutiones
quantopere
sunt fugiendae.

Solitudinem vado. Item: Ego non fugio homines seu fratres, sed me ipsum, & propriam linguam meam fugio. Pissime Iesu miserere mei. Detractiones, obloquutiones tam loqui quam audire, adeo tibi esse debet alienum, vt singulari proposito contra has non egeas. Nimis enim omnibus manifestum est eas caueri debere. Atque ideo si incidant, vbi prohibere non potes, tu recede, vt vel hoc signo alij, quam agant perperam discant. Roga autem Dominum vt emendanda ipse corrigat. De rumoribus quoque seculi, quae nihil spiritualis profectus adducunt, elige magis nescire, quam de ijs quid audire velis. Generant enim distractiones & cogitationes inutiles.

Quaestio sui vitanda quantopere sit.

CAPVT XX.

Quaestio
propria vt sit
vitanda

1. Cor. 10.

IN omnibus quae facis, vide ne temetipsum quaeras, hoc est non tuum commodum, non vtilitatem, non profectum, non requiem etiam corporis, nec vt propterea tu leuius faciliusque habeas: sed hoc quod Deo acceptissimum, quod communitati vtilissimum sit elige. Sic enim Apostolus quoque, vt non quid vni, sed quid pro multis obseruemus, admonet. Nihil igitur propter te optes fieri, quod proximo non conueniat, nihil quaeas, nisi denique fieri consentias quamlibet fructuosum (nisi pro voluntate Dei tibi fuerit necessarium) quod noceat proximo: sed ad charitatem seruandam quicquid sit accommodatissimum inquire, illudque elige. Porro honor Dei, eundemque beneplacitum omnibus vtilitatibus & commodis sunt anteferenda.

Gloria vana quanta sit diligentia vitanda.

CAPVT XXI.

Vana gloria
quam in studiose cauenda.

Matt. 25.

Opera bona
quando sint
cauenda.

AMa nesciri, & nihil palam ostentes, nec hominibus tu placere studere. Non optes vt de te bene sentiant homines, nisi in graui id re necessitate fuerit, aut pro grandis mali suspitione amouenda. Quid enim tibi prodest homini reuelare ea quae vel eidem vel alteri bona feceris? Nunquid haec vt illi narres, vt iactes, vt ex ijs glorieris, propterea fecisti? Num ideo narras, quasi ab illo pro beneficijs mercedem accepturus? Nonne quicquid proximo facis, siue clam, siue in publico, Christo facis, ab eodem recepturus mercedem: Nunquid hominis gratiam, amicitiam, consolationemue affectas? Haud quaquam. Hominibus quidem facienda sunt bona, sed non propter homines, sed propter Christum, haec impendenda sunt. Christo haud necesse est reuelari tua: omnia enim sunt eius oculis nuda & aperta. Porro reuelare homini quae illi feceris, est aut captare illius benevolentiam, eiusve gratiam affectare, aut quasi ingratitude illum arguere, hoc est, beneficium exprobrare. Sincerius igitur ages si taceas, ne iactando beneficium, non solum pro illo nullam à Deo recipias mercedem, sed amissa etiam, quam aliqui habiturus fueras mercede, propterea quod te ipsum & humanum fauorem quaesisti supplicium à Deo merearis. Statue igitur omne opus bonum, & quicquid laudari ab hominibus solet celare nisi id manifestari oporteat, propter vitandum scandalum. (vt sunt ea ad quae obligamur omnes, aut propter cuiuspiam informationem, aliamue necessitatem. *Adiuua me Domine Deus meus.*)